



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

583. An possit seipsum assistere matrimonio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

n. 22. &c. Quin & idem in specie de Vicario Capitulari tenet Sbroz. *loc. cit. nu. 6.* citans pro hoc Pavin. *de potest. Capit. sed. vac. p. 2. q. 10. n. 17.* Fundamentum illius est, quod dispensatio habeat se instar restitutionis in integrum; restitutio autem in integrum non delegetur ex generali mandato juxta *L. illud. ff. de minor. Roland. cons. 25. in princ. vol. 2.* qui dicat hanc esse communem opinionem. Item, quod in mandato generali Vicariatus non veniant ea, quæ sapiunt liberalitatem, ut *Castren. cons. 348. Roland. loc. cit.* quos citat Sbroz. adeoque nec dispensatio, utpote quæ provenit ex speciali gratia & liberalitate. *c. fin. de transact. Castren. loc. cit.*

2. Sic itaque juxta hanc sententiam postremam non poterit dispensare Vicarius Capitularis in interstitiis sine speciali mandato Capituli, uti id docent *Ventrigl. ro. 2. annot. 15. §. 1. n. 40.* citans pro hoc *Barbol. sum. Apost. decis. v. Capit. sede vac. num. 14. Vulpe. in pr. c. 4. n. 14. Aldan. compend. can. resolut. tit. 3. n. 6.* qui etiam referat sic decisum à S. Congr. E contra simpliciter & indifferenter hanc facultatem dispensandi in interstitiis spectare ad Vicarium Capitularem tradit *Riccus decis. 185. sub n. 2. apud Ventrigl. & Machadus apud Dian. p. 8. tr. 4. resol. 5.*

3. Item juxta hanc sententiam non poterit Vicarius ille dispensare cum illegitimis ad Ordines minores, & simplex beneficium, nisi de speciali mandato Capituli, uti expressè docent *Ventrigl. loc. cit. §. 2. n. 58. Dian. loc. cit. resol. 6.* citans *Meroll. Theol. mor. to. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. n. 34. Rodriq. in sum. tom. 1. c. 71. n. 5.*

Questio 582. Quid possit Vicarius Capituli circa cognoscendas causas matrimoniales?

Resp. De causis matrimonialibus posse cognoscere Vicarium Capitularem habentem omnimodam auctoritatem (intellige, à Capitulo) ait *Ventrigl. cit. §. 2. n. 38.* citans præter alios *Dianam ubi ante resol. 22. & Barbol. jur. eccl. l. 1. c. 32. n. 102.* ubi tamen illi nihil de Vicario Capitulari, sed solùm Capitulo. Porro per omnimodam auctoritatem intelligere videtur absolutam potestatem quoad omnia, quæ Capitulum committere potest; adeoque etiam ad ea, quæ speciale mandatum requirunt. De quo tamen meritò dubitari potest; num nimirum cognitio illa causarum matrimonialium (et si ut dictum supra, ex sint de arduis; cum in iis agatur de statu hominis, *Sbroz. lib. 2. q. 44. n. 4.* citans præter alios *Menoch. de arbit. l. 2. casu 205. n. 7.* & quæ sunt ardua, non transeant aliàs in Vicarium, etiam cum amplissima facultate constitutum, *Sbroz. loc. cit. n. 5.* ex *Federic. de Senis cons. 302. &c.*) ageat speciali mandato, cum spectet ad jurisdictionem ordinariam, sitque ex illis, quæ frequentius in administratione Episcopatus occurrunt. Sic causas matrimoniales à Vicariis Episcoporum passim, ut videmus, cognosci comprehendique illas in generali mandato Vicariatus, expressè docet *Cuchus Inst. de Episc. l. 2. tit. 6. nu. 123.* apud *Sbrozium de off. Vicarii l. 2. q. 43. n. 4.* qui & ipse hanc sententiam tenere haud obscurè dignoscitur, dum *nu. 5.* de suo rationem hujus addit, dicens: nam ad cognoscendum causas matrimoniales duo in Judice requiruntur, scilicet scientia Canonica, & quod habeat potestatem seu jurisdic-

nem ordinariam, vel delegatam; Vicarius autem Episcopi hanc scientiam habere debet, & est Judex ordinarius; adeoque meritò causas matrimoniales cognoscere potest. Quin & expressè hanc sententiam de Vicario Episcopi tenet idem Auctor *l. 2. q. 44. n. 1. in fine,* ubi pro hoc, quod iste Vicarius cognoscere possit, & terminare dictas causas sine speciali mandato Episcopi, citat *Lambert. de jurep. l. 2. p. 3. q. 2. a. 3. Covar. l. 4. Eptom. c. 8. §. 12. nu. 1. Præpos. & Abb. in c. fin. de cognat. spirituali, &c.* Ac denique hanc quaestionem concludit dicendo: ab hac sententia majore numero auctoritatum probata non recedo. Unde idipsum à fortiore dicendum videtur de Vicario Capitulari. Neque hic obstat, quod juxta Tridentinum discussio illarum causarum matrimonialium nullius alterius inferioris, quàm Episcopi examini relinquatur: id enim, ut inquit *Sbroz. cit. q. 43. n. 7.* intelligendum non est de Vicariis, sed aliis inferioribus Prælati, juxta dicta à nobis supra, ubi an cognitio causarum illarum competat Capitulo. Vide plura etiam de his, ubi actum de Vicario generali Episcopi.

Questio 583. Num Vicarius Capituli per seipsum assistere possit matrimonio sine speciali mandato Capituli?

Resp. de hoc vix dubitari posse, idque etiam si Sacerdos non sit; cum exerceat ordinariam & episcopalem jurisdictionem, possitque delegare cuique alteri Sacerdoti non minùs, quàm Vicarius Generalis Episcopi hanc potestatem assistendi, sitque Ordinarius & Parochus Parochorum. Et sic expressè tradit *Dana p. 8. tr. 8. resol. 49.* ubi: (sub nomine Ordinarii, qui & assistere, & assistendi licentiam dare potest, in Trident. sess. 24. c. 1. comprehenditur Capitulum sede vacante, & ejus Vicarius. Citat pro hoc *Gutier. de matrim. c. 66. n. 5. & 13. Poanum l. 5. c. 10. n. 4. Boss. c. 4. §. 2. 1.* idem expressè tenet *Ventrigl. loc. cit. n. 43.*

Questio 584. Quid possit Vicarius Capituli circa cognoscendas causas civiles, vel etiam feudales?

1. **R**esp. ad primum: In generali commissione Vicariatus citra speciale mandatum cognoscere potest causas civiles, *Sbroz. l. 2. q. 125. nu. 1* loquens de Vicario Episcopi, ac citans *Caldin. in Clem. 1. n. 19. de off. Vicar. Bald. cons. 477. n. 6.* Auffer. *in addit. ad Tolosan. q. 148.* Beroium, &c. Cùm enim in Vicarium per commissionem officii Vicariatus generaliter ei factam transeat cognitio causarum, *c. licet. de off. Vicar. in 6. & ibi AA.* cum ex eadem generali commissione Vicarius habeat administrationem in civilibus (quod non minùs locum habet in Vicario Capituli, quàm Episcopi) necessaria non est specialis concessio quoad hoc expressio. *Sbroz. loc. cit. n. 2.* citans *Rebuff. in pr. benef. tit. form. Vicar. Ar. hier. n. 195.* Quænam verò sint causæ civiles fori Episcopalis (& consequenter spectantes quoque ad Capitulum sede vacante, & cognoscendæ per ejus Vicarium) recenset *Cuch. in Inst. jur. can. de Episc. tit. 6. nu. 122.* apud *Sbroz. cit. n. 2.*

2. Resp. ad secundum: Causas tamen feudorum